

timi, Epistola ad Paulum II. Pont. quae incipit: *Cum et antea semper B. Pontifex intellexerim S. tuam in perquirendis maiorum nostrorum splendidis gestis mirifice oblectatam, et nunc quo amplior sis, eo maiori quoque, ut par est, studio excellentium Virorum magnifica queque perquirere &c.* Initium vero Opusculi ipsius est: *Cum permagni semper feceris Philocrates cuiusque rei cognitionem &c.* Et finis: *pulcherrimum inter nos certamen amoris excitetur. Vale.* Subjecit Possessor: *Ο ἰωαννης κουντιανος ιατρος και ποιητης ἐγγραφε* Anno M d VI 6<sup>o</sup> idus septembres In Gmunden. Quod Salinarum super. Austriae ad Trunum fl. et lacum sibi cognominem Opidum aut feriarum autumnalium, aut medicae praxeos ergo petierit. Excusa porro Versio *Aristeae Palmeriana* jam fuit Romae a *Conr. Schweinheim* et *Arn. Pannarz* a. 1471. ante *Biblia* f. non vero ante eadem *Norimb.* ab *Ant. Koburger* 1475. f. ut relatum fuerat *Fabricio l. cit.* utraque enim mihi objacent. Quae circa ejus *σοφειαν* a Doctis ventilata sunt, habes apud eundem mox cit.

II. fol. 34. Q. *Septimi Florentis Tertulliani Carthaginensis de carne christi Liber incipit feliciter.* Praemittuntur initia reliquorum etiam *Tertulliani* Operum, omnia *Cuspiniani* ipsius manu, nam, quod aere pararet, typis excusum eo tempore nihil erat *Tertulliani* praeter *Apologeticum*, unde mirere virorum eruditorum laboriosam operam, quam tamen il-

lud conpensabat, quod ejusmodi descriptio adtentam lectionem valeret. Incipit porro *Tractatus: Qui fidem resurrectionis ante istos sadoceorum propinquos sine controversia moratam student inquietare &c.* et edit. *Rigaltianam Paris.* 1675. p. 307. bene aemulatur. Ultima sunt: *quale fuerit quod in christo resurrexit.*

III. fol. 74. p. 2. *Eiusdem Tertulliani de carnis resurrectione liber incipit feliciter.* Etiam in edit. cit. p. 325. priorem excipit hoc initio: *Fiducia christianorum resurrectio mortuorum. illam (illa) credentes sumus, hoc (hanc?) credere veritas cogit &c.* Et fine: *usquequaque potando refrigerabis.* Textus, uti prioris, sat sincerus.

## CX.

Codex membraneus lat. Sec. E. 7 XV. Folior. 87. f. per duas columnas luculente exaratus, rubricis distinctus, et postquam *Episcopus Brixinensis*, ut *Insignia p. 1.* subiecta produnt, olim fuisset, illustri Herois *Eugenii de Sabaudia κτημα* hoc titulo est: *Tractatus de differentia nostre translationis ab ebraica littera veteris testamenti Nicolai de lira.* Vir hic inter sacros Interpretes semper cum reverentia nominandus, de quo fontes collectos habes in *Fabricii Bibl. med. Lat. L. XIII. p. 114.* patria *Normannus* fuit, ut docet ejus Epitaphium in magno *Conventu Fratrum Minor. Parisiis*, cujus disticho:

Nulla

*Nulla diu mundi tenuit vesania natum.*

*Protinus evasi religione Minor.*

exploditur etiam fabella, *Judaemum* et *Judaeorum* Doctorem fuisse, antequam Christo nomen daret, quam peperit ejus peritia linguae hebraicae, licet eam non natalibus, aut Scholae cuidam rabbinicae, sed diligentiae suae, librorumque lectioni debuerit. Hic porro Vir, postquam a. 1330. *Postillas super universa Biblia*, vastum Opus, compleisset, a. 1333. praefens Compendium scripsit, cujus initium: *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis. Eccl. XXXVIII. Scriptura sacra proprie sapientia nominatur &c.* Rationibus tribus se motum dicit: *Prima est quia licet scribendo super vetus testamentum tales variaciones (Vulgatae ab hebr. Veritate) in pluribus locis tetigerim, tamen in hoc opere propono plures ponere et aliquas breves exposiciones aliquando inferere. Secunda est, quia quamvis scribendo super uetus testamentum breuiter studuerim quantum potui bono modo, tamen totum opus propter sui magnitudinem facilliter haberi non potest a pauperibus studiosis. Praefens autem opusculum haberi poterit a quolibet studioso. Tercia est, quia dictae variaciones expedicius uideri poterunt, cum simul segregatim ab alijs erunt scripte.* Itaque omnes Libros V. T. pervadit Nicolaus suis adnotationibus, et in *Genesin* quidem sic orditur: *Primo capitulo. A. Terra autem erat inanis et vacua, hebraice, et terra erat va-*

*stitas et vacuitas. Huius litere posui duplicem expositionem in genesi &c.* Finit vero in *Malachiae C. IV. v. ult.* subnectendo quaedam Monita, videlicet, quod nihil hic posuerit de Libris V. T. qui hebraice non extant; quod in omnibus secutus sit collationem et consilium Virorum in hebraico peritorum, cum, ut ait, *in hac lingua non sim multum sed modicum instructus*; quod circa voces apud Hebraeos aequivocas communiter sit secutus *Rabi Samuelem*, cuius doctrina apud iudeos modernos magis autentica reputatur. Ad calcem: *Explicit tractatus de differentia — editus a fratre Nicolao de lira de ordine fratrum minorum. Et est completus anno domini M<sup>o</sup> CCCCXX. per Bartholomeum Politz.* Pro *Rabbi Samuele* rescribo *Salomonem Isaacidem* vulgo dictum רש"י, cujus פירושים in universum V. T. habemus, doleoque, non esse mihi ad manum, quam rarissimam esse oportet, Libelli nostri Editionem *Rotomagensis* apud *Mart. Morin s. a.* citatam a *Rich. Simonio* in *Critica Biblioth. Autor. Ecclesiast. Dupinii T. I. p. 354.* quae cum unica esse videatur, qui eam novis curis repraesentet, optandus foret.

II. fol. 68. p. 2. *Sequitur Disputatio contra quendam Judeum.* Initium: *Potens sit exhortari in doctrina sana &c.* Edita est ad calcem *Postillarum* Nostri, et *Bibliorum glossator.* et hic in *Codice*

subscribitur: *Explicit responsio fratris Nicolai de lira ad quendam Judeum ex verbis evangelij secundum Mattheum contra christum nequiter arguentem.*

## CXI.

R. 3325 Codex membraneus lat. theotif. Sec. XI. Folior. 134. 4. eleganter scriptus et minio distinctus, olimque Coenobii *Lunaelacensis* O. S. B. in *Austria* super. nunc extincti sequentibus pollet. I. litera quadra: *In Nomine Sanctae Trinitatis Et Unius Deitatis Incipit Clossula De Hebraicis Nominibus Graec. Et Lat.* Ita: *Ἰησους.* hebraice dicitur. *Sother.* grece. *Saluator.* latine. *Item Messias.* hebr. *Xēs.* grece. *Unus.* lat. interpretatur. *Sabaoth.* exercituum. siue uirtutum interpretatur. *Michabel.* qui sicut deus. *Gabriel.* fortitudo dei. *Raphabel.* medicina dei. *Adonay.* Omnipotens. *Hel.* deus. *Adam.* homo. siue terrigena. uel rubra terra interpretatur. *Aeua.* uita. siue calamitas. haec edendo homini uitam attulit. & transgrediendo calamitatem. sicut mulier. aliis interdum uita. aliis calamitas. Raro ejusmodi observationes insperguntur. *Nominibus Personarum* succedunt hae Rubricae: *De Diuersis Rebus. De Gentibus. De Locis. De Fluminibus. De Mensibus. De Solemnitatibus. Anni. De Uolatilibus. De Ponderibus. De Mensuris. De Grecis Nominibus. De Principatibus Hieronimi,* puta ex ejus Scriptis. *De Hospitiis. Expositio Grecorum Verborum,* quod falsum,

quia mera hebraea sunt excepto *Agmon,* quod redditur *Episcopus,* corruptum, ut videtur, ex *Ἡγεμων.* Successu temporis hae Rubricae in unum commune Alphabetum confluxerunt, ut videre est ad calcem *Bibliorum* Sec. XIII. XIV. &c. scriptorum. Tria hic adhaerent: primo *Incipiunt Formata Episcoporum,* ratio nempe illa ab *Attico* Patriarcha *CPolitano* edita graecis literis numerorum loco utendi, de qua dixi *Vol. I. P. 3. col. 2988.* dein *Alphabetum* graecum fat deformatum addito valore numerico, demum VII. *Peccata,* totidemque *Poenae Adami et Caini.*

II. fol. 9. *Incipiunt Clossae Super Uetus Et Nouum Testamentum Breuiter Excerptae Singulartiter De Difficillimis Uerbis.* Ne de praestantibus his ad *Theaurum Linguae Theotifcae* accessionibus hic verba faciam, praeventit doctissimus *Bern. Pezsius,* qui eas *T. I. Thes. Anecd. P. I. col. 319.* cum *Eruditis* communicavit. Illud modo monendum est, ea, quae non theotifce, sed latinis aut Synonymis, aut Periphrasibus exponuntur, majorem totius *Traetationis* partem constituere, id quod praesertim e fine *Geneseos,* et tota *Apocalypsi* manifestum est.

III. fol. 123. *Incipit Somnialis Liber Sancti Danielis Prophete Qui In Babilonia In Diebus Nabuchodonosor Regis. Haec Est Uisio Terrea.* De hoc vanissimi *Impostoris* commento agit *Fabrics* in *Cod. Pseudepigr. V. T. p. 1130.* Exemplar praesens constat Sen.